nam apoſtoli ad Gal. iiij. duo teſtamē-
ta.ſ. vetꝰ ⁊ nouū allegorice ſignificanṫ
Exemplū ꝟo ſecundi Eſa. xj. vbi diciṫ
Egrediṫ ꝟga de radice Jeſſe: ⁊ flos de

radice eiꝰ aſcẽdet. Et ſilr Ioã. iiij. Reſpicite regiones ꝛc. Exemplũ ꝟo tertij habeť i chr̄i venditõe: q̃ ſignificať factũ in venditione Ioſeph Gen. xxxvij. ꝛ verbis i Zach. xj. vbi dr. Appenderũt mercedẽ meã trigita argẽteis. Cũ ḡ dicimꝰ ſenſũ diuine ſcp̃ture allegoricũ dici ab allegoria: nõ loquimur de allegoria facta ꝑ ꝟba immediate. Talis eĩ in oĩ ſua ſpecie ꝑtinet ad ſenſũ litteralẽ: ſiue illo mõ ſignificeť aliq̃d hiſtorialiť geſtũ: ſiue ꝑtinẽs ad fidẽ vľ mores: aut ad futuram felicitatẽ. Sed tũc ꝑ allegoriã intelligimꝰ eã q̃ fit reƀ tm̃ imediate. Et ſic pꝫ q̃s ſenſus ſit dicendus allegoricus. Quia ꝟo ſenſꝰ moralis ꝛ anagogicus ñ hñt ſpeciales difficultates: de his nihil ſpẽaliť dicendũ putamꝰ.

## Cap̃. ſextũ ꝙ in eadeꝫ littera ſũt plures ſenſus lr̃ales.

Poſtq̃ꝫ vidimus quot ꝛ qui ſũt diuĩe ſcripture ſenſus reſtat vna difficultas enucleanda: An. ſ. diuia ſcp̃tura ſb eadem littera continere poſſit mľtos ſẽſus litterales hiſtoricos. De hoc eñ viri magni nõnunq̃ꝫ diſſentiũt. Et omiſſis alijs: etiã eorum qui ſequunť doctrinã ſancti Tho. q̃dam tenent ꝑtẽ affirmatiuã. q̃dã ꝟo negatiuam. Et ſcḋam tenentes ꝑtem mouenť ex ꝟbis eiuſdeꝫ ſãcti Tho. Nam ip̃e in ꝑma ꝑte. q. j. ar. vl. querit: vtꝝ ſacra doctria ſub vna littera habeat plures ſenſus. ſ. litteralem: allegoricum ꝛc̃. Et primo loco arguit ꝙ non ſic. Multiplicitas inquit ſenſuũ in vna ſcriptura parit cõfuſionẽ ꝛ deceptionẽ. ꝛ tollit arguendi firmitatẽ. Vñ ex multiplicibꝫ ꝓpoſitionibꝫ non ꝓcedit argumentatio: ſed ſm hoc aliq̃ue fallacie aſſignanť. Sacra aũt ſcp̃tura debet eẽ efficax ad oſtendendũ veritatẽ abſq̃ꝫ omni fallacia. Nõ ergo debẽt in ea ſub vna littera plures ſenſus tradi. Ecce argumẽtũ ſancti Tho. Seq̃ť rñſio eiuſdẽ Ad ꝑmũ inq̃t dicendũ ꝙ multiplicitas hoꝝ ſenſuũ non facit equiuocatiõeꝫ aut aliã ſpẽm multiplicitatis: q꜡ ſenſꝰ iſte ñ multiplicanť ꝓpť h̃ ꝙ vna vox multa ſignificet. ſed q꜡ ip̃e res ſignificate ꝑ voces aliaꝝ reꝝ poſſunt eẽ ſigna. Et ita ẽt nulla ꝯfuſio ſequiť in ſacra ſcriptura cũ oẽs ſenſus fundenť ſuꝑ vnũ. l. lr̃alẽ. ex q̃ ſolo p̃t trahi argumẽtũ. Hec s. Tho. i forma. Ex q̃bꝫ arguũt q̃dã ſic. Si ſenſus multiplicarenť in ſcp̃tura ex hoc ꝙ vna vox multa ſignificat in diuia ſcriptura eẽt aliq̃ mľtiplicitas. Sed ſi ſub eadẽ lr̃a ſũt pľes ſenſus litterales hiſtorici: h̃ ẽ q꜡ vna vox multa ſignificat: ḡ ſi ita eſt: i diuia ſcp̃tura eẽt mľtiplicitas: q̇ꝺ eſt impoſſibile. Sꝫ iſta opinio ſuſtineri ñ p̃t ꝛ motiuũ etiã ẽ inefficax vt patebit. Primũ. ſ. ꝙ hec opinio ſit inanis: patet rõe ſuꝑ̃ inducta q̃ ad illa ꝟba. ego ero illi in p̃rem. Nã ab oibꝫ expoſitoribus exponũť ad lr̃am ꝺ Salomone. Et ap̄ľs ad Hebreos. j. ad lr̃am de chr̄o illa verba allegat. Patet ẽt auctoritate. Nã ip̃e doctor ſctũs ꝑma ꝑte vbi ſupra in corꝑe ar. ꝛ ſũt vitia eiꝰ ꝟba ſic dicit. Quia ꝟo ſenſus litteralis ẽ ille quẽ intẽdit autor. Autor autẽ ſacre ſcripture deꝰ eſt. q̃ oĩa ſimul ſuo intellectu cõp̄hẽdit. nõ ẽ incõueniẽs: vt Aug. dicit. xij. confeſſio. ſi ẽt ſm litteralem ſenſum in vna littera ſacre ſcripture plures ſť ſenſus. Hec ille in forma. Itẽ in q̃õnibꝫ de po. ꝺi. q. iiij. ar. j. loquens de ſenſu litterali ait. Oĩs ꝟitas que poteſt diuĩe ſcripture adaptari ſalua circũſtantia littere eſt ſenſus eiꝰ. Et q̃ infert ꝙ cũ doctores ſcti exponẽdo ꝑmũ cap̄lm Geneſis in duos ſenſus diuidanť: q̃libet illoꝝ ẽ ſenſus diuine ſcripture. Et clarũ eſt ꝙ loquiť de litterali: vt pꝫ intuenti. Idẽ aũt ſenſit Aug. xij. ꝯfeſſi. ꝛ Nico. ꝺ Lyra. ꝛ Paulus burgẽſis: ꝛ multi alij ſolẽnes doctores. Dico ḡ ꝙ multos ſenſus poteſt diuia ſcriptura ſub eadẽ lr̃a habere litterales: nec tamẽ aliq̃s eoꝝ p̃ot eẽ falſus: q꜡ ille ſenſus ẽ litteralis: q̃ẽ deus immediate per voces intẽdit ſignificare. Poteſt aũt deꝰ ſimu mu tas veritates intẽdere: nõ aũt al quã falſitatem. Ad motiuum autem alterius opinionis ñ urus ꝑmitto q̃dã. Sciendũ

ergo eſt: ꝙ aliđ eſt equocatio. ⁊ aliđ fal⸗
lacia ſeu deceptõ ſʒ equiuocationē. Et
ſilr aliđ eſt mltiplicitas: ⁊ aliud falla⸗
cia ſm multiplicitatē. Ubicunqȝ em̄ ē
fallacia equiuocatiōis eſt etiā equoca⸗
tio: nõ āt ecõuerſo. Exēpli grā Iſta di⸗
ctio canis dr̄ equoca: quia mlta ſcat ſʒ
rōnes diuerſas .ſ. canē terreſtrē: mari⸗
nū ⁊ celeſtē. Si ḡ fiat tale argumētū.
Ois canis pōt latrare: celeſte ſidus ē
canis. ḡ celeſte ſidus poteſt latrare. Si
qs neſciat argumētū diſſoluere: erit hic
fallacia equiuocatiōis: ⁊ ēt equiuocatõ
Si ṽo arguat ſic. ois canis ē ſubſtātia
ergo celeſte ſidus ē ſubſtantia: erit qdē
hic equiuocatio: nõ aūt fallacia equiuo
catiōis: eo ꝙ oēs ꝓpoſitiões ſint vere in
omni ſuo ſenſu. Licʒ aūt in diuia ſcptu
ra nulla poſſit eſſe fallacia: pōt tñ in ea
eſſe equiuocatio: cū mlte dictiões equi
uoce vl analogice ī ea ponant: vt patet
legenti ſacros codices. Ex multiplicita
te ergo ſenſus litteralis et ſpūalis: neqȝ
deceptio ſeu fallacia: neqȝ mltiplicitas
acceſſit in diuina ſcriptura: vt teſtatur
ſctūs Tho. vbi ab aduerſarijs allegat.
Sed ex mltiplicitate ſenſuū litteraliū
ſequit qdē multiplicitas: puta equiuo⸗
catio. ſʒ nõ ſeqt aliqua fallacia: qꝛ om̄s
ꝓpoſitiões ſacre ſcripture in omni ſenſu
quē poſſunt habere vere ſūt. Nihil em̄ ē
ſenſus ſcripture litteralis niſi ſit verꝰ et
adaptabile littere: ſalua eius circūſtan⸗
tia. Ex his aūt pꝫ ſolutio argumenti.
Dico em̄ ꝙ illđ quod ibi infert. ſ. ꝙ ī di
uina ſcptura eēt mltiplicitas: nõ ē im⸗
poſſibile: vt iſti credūt: ſed ē verꝝ ꝙuis
in ea nõ ſit deceptio ex multiplicitate:
vt dictū eſt. Et ſi querat quomõ ſit iſta
multiplicitas: Dico ꝙ trib⁹ mōis eē pt:
vt occurrit ad preſens. Uno mõ ꝑ dicti
onē mere equiuocā. Alio modo ꝑ ana⸗
logam. ⁊ Tertio modo ex eo ꝙ ꝓprium
ſignificatū vni⁹ vocis eſt figura ⁊ ima
go (vt ita dicā) alteri⁹ rei. ſicut Salo⸗
mon fuit expſſa figura chꝛi. Tūc em̄ li⸗
cet q̄ de tali dicunt vt res eſt. de nullo
alio intelligant niſi ſpūaliter: tñ q̄ dicū
tur de figura vt figura eſt: immediate
intelligunt dici de figurato etiā littera
liter. Sed tamē iſto tertio modo ñ cau
ſat ſenſus mere litteralis ſʒ aliques.

Ad intellectū aūt horum ſciendum
eſt: ꝙ quando aliqs fuit figura alteri⁹
puta Salomon chꝛi: triplicit pōt con⸗
ſiderari. Uno modo ſolū inqntū eſt fi⸗
gura. Alio modo inqntū eſt qdā res ī ſe
pciſe ⁊ ſolū. Tertio modo inqntū eſt q̄⸗
dā res ⁊ figura alteri⁹. Que ḡ dicunt
de Salomone pmo modo. i. ſolū iqntū
eſt figura chꝛi: verificant ſolū de chꝛo:
vt Ps. lxxj. dr. Et dominabit a mari
vſqȝ ad mare: ⁊ a flumie vſqȝ ad termi⸗
nos orbis terraꝝ. Iſta ei Salomoni de q̄
dicunt ꝯuēire non poſſunt. Que ṽo di
cunt de eo ſolum vt qdam res fuit: con
ueniunt ei ſoli: ⁊ nõ chꝛo: ſic ꝙ fecit tem
pla idoloꝝ. iij. Reg. xj. Que ṽo dicunt
de eo vtroqȝ modo: verificāt de vtroqȝ
ſed veri⁹ ⁊ pncipali⁹ de chꝛo. ſicut ē illđ
Ego ero ei patrem: ⁊ ipe erit mihi in fi
liū. j. Paral. xx. ⁊. j. Regū. vij. His āt
trib⁹ modis poteſt aliquid dici de qcun
qȝ imagine. Unde de cruce dicim⁹ ꝙ ē
redēptio mūdi: q̊ ad pmū. ⁊ ꝙ eſt lignū
quo ad ſcōm. ⁊ ꝙ eſt aliqd: q̊ ad tertiū.
Arguit autem contra iſta que dicta ſt
ſic. Nam licet ex multiplicitate ſenſuū
litteraliū in diuina ſcptura non ſequat
fallacia vel deceptio: ſequit tamē ꝙ ipa
ſit inefficax ad arguendū quādo habet
plures tales ſenſus. qꝛ arguere ab ipſo
textu ad aliquē illoꝝ ſenſuū: erit argue⸗
re a tota diſiunctiua ad vnā ptē eius de
terminatā: quod ſm regulas dialectice
reputat illicitū. Ad hoc rñdetur ꝙ licet
a ſolo ſenſu litterali ſumat efficax argu
mētū: nõ tñ ab omni ſenſu litterali: ne⸗
qȝ ad omnē litteralē ſenſuū ſumit argu
mentū efficax: ſed ſolū ab illo ſenſu: ⁊ ad
illum ſenſum qui euidenter cōſtat aut
conſtare pt ꝙ per voces exꝓmat imme⸗
diate: ꝓprie vel figuratiue. Ad maiorē
tamē hoꝝ euidentiā ſciendum eſt: ꝙ qñ
ſub eodem textu tradunt ſenſ⁹ diuerſi:
vt tradunt ſancti quo ad pmū ca. libri
Geneſeos: ſi hmōi ſenſus diuerſi in ali
quo concordant: poteſt ſumi inde argu
mentū efficax: ſaltē in hoc in quo cōcor
dant. Exemplū hui⁹ habet Dañ. ix. in

cōputatiōe.lxx. hebdomadaꝝ: vbi lꝫ ex
poſitores tā latini ꝙ̄ hebrei diuerſimo
de ſe habeāt q̄ ad terminū i q̄ hebdoma
de incipiūt: ⁊ q̄ ad ꝓgreſſuꝫ cōputatōis
qꝛ tamē ſm oēs termin⁹ eaꝝ vltimus
iam diu tranſiuit i ꝓteritū: ideo ex ipſa
autoritate argumentū efficax ſumit̄ ad
ꝯcludendū ꝙ iā diu chꝛs aduenit. Ex q̄
bus ſequit̄ ꝙ cū ſenſus lr̄alis ſacre pagi
ne in q̄buſdā locis nō ſit idē apud oēs
ideo pōt cōtingere: ꝙ ex aliq̄ ſenſu lr̄ali
poſſet ſumi argumētū validū cōtra q̄ſ-
dā: puta ꝯtra tenētes eundē ſenſum lit-
teralē: nō aūt ꝯtra alios nō tenētes illū
niſi qn̄ voces ita illū ꝓtendūt ꝙ rōnabi
liter negari nō pōt. Iſta aūt diuerſitas
ſepe ꝯtingit inter nos ⁊ infideles. Sūt
eñ q̄dā ſcripture textus quoꝝ ſenſus q̄
eſt verus ⁊ litteralis apō catholicos nō
ſufficit vt ex eo ſumat̄ validū argumen
tū ꝯtra infideles ſeu hereticos. Talis
eſt ille textus pſalmiſte. Verbo dn̄i celi
firmati ſunt. Senſus eñ verus ⁊ lr̄alis
apō catholicos eſt: ꝙ v̄bo dn̄i.i. filio pa
tris celi ſunt firmati. Vn̄ ⁊ Ioan.j. dr̄.
Et v̄bū erat apud deū. Et īfra. Oia ꝑ
ipm̄ ſcꝫ verbū facta ſunt. Sꝫ ex ꝓdicto
textu īfideles nullā realē diſtinctōeꝫ in
diuinis admittētes: ſꝫ oēm mlt̄itudinē
ꝑſonaꝝ negātes: ꝯuinci nō pn̄t. Dicūt
eñ ꝙ loq̄t̄ ꝓpheta more hūano: ſic cū de
mandato alicui⁹ dn̄i aliqua fiunt: dicit̄
ꝙ ſunt verbo ei⁹ facta. Sumit̄ tamē ex
hmōi textu argumētū validū apud fide
les: q̄ diſtinctionē diuinaꝝ ꝑſonaꝝ i di-
uinis admittūt. Et ſil'r forte argumēta
bat̄ apl'us ad Hebreos fideles ex ſenſu
quē ipi admittebāt. Eſt tn̄ aliq̄s ſenſus
diuine ſcripture vbiq̄ aut fere vbiq̄: q̄
ita patēter ē lr̄alis: ꝙ negari niſi ꝓterui
endo nō pōt. Et ex tali ſumit̄ argumen
tū apud oēs admittētes textū. Et talit̄
arguere nō eſt arguere a tota diſiūcti-
ua ad alterā ꝑtē: cū nō accipiat̄ text⁹ vt
cōis duob⁹ ſenſibus: ſed vt limitat⁹ ad
vnū. Quādo aūt textus accipit̄ vt cōis
plurib⁹ ſenſib⁹ q̄ꝝ q̄libet ſupponit̄ ver⁹
tunc text⁹ nō tenet locū diſiunctiue vir
tualis: ſꝫ copulatiue: a qua ad ſingulas
partes eſt ꝯſequētia bona.

## An quilibet ſcripture textus ſm quattuor ſenſus exponatur. Capitulū.vij.

POſt ꝓmiſſa videre
reſtat: an q̄libet paſſus diuie
ſcpture poſſit ſm oēs q̄ttuor
ꝓdictos ſenſus exponi vl' nō.
Ad itellectū aūt iſti⁹ difficultatꝫ ſciēdū
eſt ex doctria ſcti doctorꝫ vbi ſup. ꝙ iſti
q̄ttuor ſenſus ſic accipiēdi ſūt. Dictū ei
eſt: ꝙ ꝓptea iſti ſenſ⁹ mlt̄iplicant̄. qꝛ de⁹
nō ſolū pt̄ ſcare vocib⁹ vt hoies: ſꝫ etiā
reb⁹: eo mō q̄ ꝓphete mlt̄otiēs actib⁹ ſu-
is futura ꝓdixerūt. Senſus ḡ lr̄alis vt
dictū ē: ille ē quē de⁹ intēdit imediate ꝑ
voces ſignificare. Vl' ē ille: quē prudēs
vt prudēs ſeu recte accipit ex ipis voci-
bus imediate. Alij v̄o ſic accipiēdi ſūt.
Senſus eñ ſpūal' vt dictū ē: ꝯſiſtit i h:
ꝙ q̄dā res ꝑ alias exꝓmunt̄. Ideo autē
talis ſenſus ſpūalis dr̄: qꝛ figurari ꝯſue
uit iuiſibilib⁹ ⁊ ſpūalib⁹ aſcribi: ſic figu
rare cōuenit viſibilib⁹ et corporeis: ſm
btm̄ Dionyſiū. Veritas aūt quā deus
nobis ſic manifeſtat.ſ. ꝑ reꝝ figuras ad
duo ordinat̄.ſ. ad recte credēdū: ⁊ recte
oꝑandū. Si ḡ ad recte oꝑandū ordinat̄
ſic ē ſenſ⁹ moral': q̄ alio noie tropologi-
cus appellat̄. Si v̄o ordiat̄ ad recte cre
dēdū opꝫ diſtinguere ſm ordinē credi
biliū. Sic ei dr̄ b. Dionyſi⁹.iiij.c. d ce-
le. hierar. ſtat⁹ eccl'ie militātꝫ medi⁹ eſt
int̄ ſtatū ſynagoge ⁊ ſtatū eccl'ie trium
phātꝫ. Vn̄ vet⁹ teſtamentū fuit figura
noui: ⁊ nouū ſil' ⁊ vet⁹ ē figura celeſtiū.
Senſus ḡ ordinat⁹ ad recte credendū:
fundat⁹ i illa figuratiōe q̄ vet⁹ teſtamē
tū figura ē noui: dr̄ allegoric⁹ q̄ alio no
mine tropic⁹ appellat̄. Sꝫ fundat⁹ i fi
guratiōe reliq̄ dr̄ anagogic⁹. Nec ea q̄
h dicunt̄ repugnāt dictꝫ q̄b⁹ aſſerim⁹:
ꝙ anagogia docet ſperāda. Nā ea q̄ de
futura vita credim⁹: etiā nos q̄nq̄ viſu
ros ſpam⁹. Cū ḡ q̄rit̄: an q̄libet paſſus
diuine ſcpture oib⁹ ꝓdictꝫ ſenſib⁹ expo-
nendus ſit: Dicēdū ē ꝙ nō. Dic ei Au-
gu.ij. ſup Gen. ꝙ in quibuſdā ſolus ſen
ſus litteralis eſt q̄rendus. Hoc aūt ma
nifeſte ptꝫ. Sūt eñ mlt̄a in libris cano

nſcis tam veterꝫ ꝙ noui teſtamēti: q̄ ſolū hūc habēt ſenſum: vt ſūt duo p̄cepta charitatꝫ i q̇bꝫ tota lex pendet ⁊ ꝓphe vt dī Matth. xxij. Licꝫ em̄ i illis duobꝫ p̄ceptis. ſ. Diliges dn̄m deū tuū ex toto cor. tuo. ⁊ proximū tuū ſic teipm̄: mlͭta cōtineanť expoſitiōe digna: tā de obiecto charitatꝫ: ꝙ ꝺ actu ⁊ ordie eiꝰ: oia tn̄ illa ad ſenſuz ꝑtinēt litteralē. Nō em̄ per hāc rē: proximꝰ vł diliges: alie iterꝫ figurant: Et idē ē cōit de alijs p̄ceptꝫ decalogi. In euāgelio etiā mlͭta tradunť ħ ſolo ſenſu exponibilia: quēadmoduz ſūt tradita ꝑ modum p̄cepti. vt Ioā. xiiij. Creditꝫ i deū: ⁊ i me credite. Vel ꝑ modū ꝯſilij: vt Matth. xix. Si vis ꝑfectꝰ eſſe: vade ⁊ vēde oia q̄ habes ⁊ da pauperibꝫ. Silr cū Luc. viij. chřs iterp̄tať parabolā ſuā dicēs: ſemen eſt ꝟbū dei. manifeſtū eſt ꝙ illa ꝟba iterp̄tatiua nō eſt neceſſe hr̄e alios ſenſus ſpūales cum ſpamet iterp̄tatio ſit expoſitiua p̄cedētis ꝑabole. Cū his tn̄ ſtat ꝙ illa ꝑabola forte mlͭtos habeat ſenſus lr̄ales: ſm ꝙ ſemē pōt ſignificare mlͭta. Idē etiā eſt de eplis bti Pauli vbiqꝫ vel q̄ſi: qꝛ ſcꝫ vnicū habēt ſenſū. Sic ḡ ptꝫ rn̄ſio ad q̄ſitū. Vn̄ doctor ſctūs q̄libe. vij. vbi ſup̄ ſic ꝯcludit ħ dubiū ⁊ dic. Sacra ſcp̄tura qn̄qꝫ exponēda eſt iſtꝫ q̄ttuor ſenſibꝫ qn̄qꝫ tribꝫ: qn̄qꝫ duobus: qn̄qꝫ vno tm̄. Vn̄ ea q̄ ſm lr̄alē ſenſū ad facta veteris teſtamēti ſpectāt: poſſent q̄ttuor ſenſibꝫ exponi. Silr ea q̄ ad lr̄am de chřo capite dicūť: poſſent exponi lr̄alr ꝺ chři geſtis: ⁊ allegorice referēdo ea ad eiꝰ corpus myſticū: ⁊ moraliter referēdo ea ad mores nr̄os q̄ ſm eū reglari dn̄t: ⁊ anagogice inq̄ntū i ip̄o chřo ē nob iter glie demōſtratū. Illa aūt q̄ lr̄alr de eccłia dicunť: poſſunt exponi moralr ⁊ anagogice: nō aūt allegorice: niſi forte ſꝫ ꝙ geſta ꝑmitiue eccłie exponūť ꝺ futuro ſtatu eccłie pn̄tꝫ. Que ꝟo ſm lr̄am dicunť: moralr nō ꝯſueuerūt exponi: niſi anagogice. Et illa q̄ ſm ſenſum lr̄alem ꝑtinent ad ſtatū glie. nullo alio ſenſu ꝯſueuerūt exponi. Hec ſctūs Thomas: ex q̇bus multa patēt ad ꝓpoſitū. Et vlteriꝰ etiā patet quō omnia que immediate per voces tradunť ad ſenſuz litteralem ꝑtinent ſiue ad mores: ſiue ad fidē: ſiue ad ſpem ꝑtineant.

## De dignitate ſenſus litteral. Capitulū. viij.

Queritur autē cum multi ſint eiuſdē littere ſenſus. vtrū litteralis ſit inter omnes preſtantior: Arguiť em̄ ꝙ nō. Primo ſic. Nam ſenſus q̄ occidit non eſt dignior viuificāte. ſed ſenſus litteralis occidit cū ſit fundatus in littera q̄ occidit. ij. Cor. iij. ſpūalis aūt viuificat: qꝛ fundať ſuꝑ ſpūali ſignificatiōe. Vn̄ ibi ſubdiť. Spūs aūt viuificat. Scdo ille ſenſus ē dignior ꝑ quē habemꝰ doctrinā digniorē. vt ꝺ ſe ptꝫ. ſed ſenſus ſpūalis eſt hmōi. Nā ꝑ ſenſū litteralē habemꝰ geſta. ꝑ allegoricū aūt habemꝰ ea que ꝑtinent ad fidē: ꝑ anagogicū ſperanda que ad ſpem: ⁊ ꝑ moralem agenda q̄ ad charitatē ſilr ꝑtinēt. Tertio finis nobilior eſt his q̄ ſūt ad finem. ſed ſpūalis ſenſus finis eſt lr̄alis qui eſt fundamētū ſpiritualis. Quarto ille ſenſus in quo aliq̄ falſitas reperiť n̄ eſt dignior eo qui oīno eſt ſine falſitate. ſed i ſenſu litterali aliq̄ inueniť falſitas puta ꝙ deꝰ localiter moueať deſcendēdo ad vidēdū turrim ⁊c. Gen̄. xj. nō aūt in ſpūali. Quinto illa que ſunt interiora ſunt digniora tam i ſpiritualibꝫ ꝙ i tēporalibꝫ. In corꝑalibꝫ em̄ interiora ſūt in quibꝫ p̄ncipaliter ꝯſiſtit animaliū vita: vt cor. Et ſimiliter in ſpiritualibꝫ interiora ſūt digniora. vt patet de arca federis domini Exoꝺ. xl. vbi diciť: ꝙ ipa fuit in ſanctaſanctoꝝ: alia aūt magꝫ vel minꝰ appropinq̄bant ſm ordinē ſctitatis. Similiter in ſacramentꝫ eccłie inuiſibilis gratia que interiꝰ dať: dignior ē viſibili forma q̄ eſt q̇d exteriꝰ. Senſus aūt litteralis dr̄ eſſe ſcriptꝰ extra librū: ⁊ ſpiritualis intus: vt patꝫ Apoc. v. vbi diciť. Vidi librum ſcriptū intus ⁊ foris: ſm expoſitores. Sexto: Humana noticia cōmuniter procedit a minus

ꝑfectꝫ ad ꝑfectiora. in ſtudio aūt ſcptu
re incipit a ſenſu lrali. Septio. ille ſen/
ſus eſt dignior ꝙ ſupplet defectū alteri
us. ſz talis eſt ſpūalis aliqñ reſpectu lit
teralis. Nam dt Grego. in mora. Cum
ordo hiſtorie deficit ſeſe nobis intelle/
ctus myſtic⁹ qſi aptis ianuis oñdit: ac
ſi patenter clamet. Quia rōne littere de
feciſſe cognoſcitꝫ: reſtat vt ad ſpūalem
ſenſum ſine dubitatione redeatis. In
ↄtrariū arguit: qꝛ ꝓpter qḋ vnūquodqꝫ
ꝛ illḋ magꝫ eſt. ꝑmo poſterioꝝ. Sz ſen/
ſus ſpūalis nō eſt honorabilis niſi rōne
alicui⁹ litteralis cui cōcordat. Nam ſi
nulli litterali cōcordat: reprobat. vt ex
dictis patet. Igit litteralis int oḿs eſt
digniſſim⁹. Reſpōdeo. Iſtam qſtionē
bene diſputat dñs Paulus Burgeñ. in
additiōib⁹ ſuis ad Nicolaū de Ly. ſup
Geñ. bene etiā determinat. Ex eius er
go doctrina ſciendū eſt: ꝙ ſacra doctria
vna exiſtēs ſpeculatiua eſt ꝛ ꝑctica. Lo
qndo g̃ de ea vt eſt ſpeculatiua: dico ꝙ
ſenſus litteralis ꝛ ſpūalis poſſunt du/
pliciter cōparari. Uno modo vniuerſa
liter reſpectu totius ſcpture in cōmuni
Alio mō ꝑticularit: ſm ꝑticularia loca
ſcpture. Si cōparent ꝑmo mō: ſic vno
modo ꝑeminet ſenſus lralis: ꝛ alio mō
ſpūalis et lralis ſunt eqlis dignitatis.
Nam ſicut dicit Ariſtot. j. de aia. vna
ſciētia loquendo de ſpeculatiua / eſt di/
gnior alia. vel rōne materie de qua trai/
ctat: vel rōne ſue certitudinis. Uñ dic
phs in. xj. de aialib⁹: ꝙ minimū qḋ pōt
haberi de cognitiōe reꝝ altiſſimaꝝ: de/
ſiderabili⁹ eſt ꝙ̄ certiſſima cognitio ꝗ
habet de minis reb⁹: puta ꝙ duo ꝛ tria
ſūt qnqꝫ. Itaqꝫ ſi vniuerſalr iſti ſenſus
cōparent: ſunt equales qͤtum ad digni
tatē materie de ꝗ agit. De eodē em̄ agi
tur ſm vtrūqꝫ ſenſum: ſcꝫ de deo et de
creaturis ſm ꝙ in deū referunt. Quan
tum vero ad certitudinē: ſic dignior eſt
lralis. qꝛ ab ei⁹ certitudīe dependet ali
oꝝ ſenſuū certitudo. Uñ dicit Aug. de
doctrina chrīana. Nihil eſt qḋ occulte
in aliq̄ loco ſacre ſcpture tradit. qḋ non
alibi manifeſte exponat. Uñ ꝛ ſm ſcm̄
Thom. vbi s. Spūalis expoſitio ſp ab
aliq̄ litterali debet habere fulcimentū.
Si vero cōparent ꝑticulariter: ſic cla/
ruꝫ ꝛ apertū eſt ꝙ plerūqꝫ ſpūalis litte/
ralē dignitate vincit materie ſubiecte:
ſicut cum legit de Abraam Geñ. xxj. ꝙ
duos filios habuit: qḋ vt dictū eſt ſup̄:
exponit ab Aplo Gal. iiij. Allegorice
de duob⁹ teſtamētis. Patꝫ em̄ ꝙ ſenſus
allegoric⁹ ibi dignior eſt hiſtoriali. Si
ṽo loquamur de ſacra ſcptura ſm ꝙ cō
ꝑhendit ſub ſe practicā ſcientiā: ſic etiā
illi ſenſus poſſunt cōparari vniuerſalr
ꝛ ꝑticulariter. ꝛ ſi qdem vniuerſalit fi/
at cōparatio: eiuſdem dignitatis ſunt
vterqꝫ. Illa em̄ ſciētia practica vel etiā
ars dignior eſt que ad vlteriorē finē or/
dinat. ſicut ciuilis dignior eſt militari.
j. Ethic. eo ꝙ ꝑma habeat pro fine bo/
nū ciuitatꝫ: ſecūda ṽo bonū exercitus.
Cōſtat autē ꝙ finis vltim⁹ totius ſacre
doctrine: vt eſt ꝑctica: eſt vnus ꝛ idem
ſm vtrūqꝫ ſenſum: eterna: ſcꝫ felicitas.
Si aūt cōparent ſcḋo modo: ſic dico ꝙ
in qbuſdā locꝫ ſenſus ſpūalis ē dignior
tanqꝫ ꝓpinquior vltio fini. vt pꝫ in mul
tis ꝑceptis cerimonialib⁹. ſicut cū dicit
Deut. xxv. Nō ligabis os bouis teren
tis in area fruges tuas. Qḋ exponit ab
Apoſtolo Corinth. ix. ſpūaliter de ꝑdi
catore: qui oſtendit ꝙ ſenſus litteralis
modice ſit vtilitatis in hoc paſſu: dicēs
Nunqd de bob⁹ cura eſt deo: q. d. Non
habet deus talē curā de bob⁹ vt ꝓpter
eos daret legem hoi qui eſt boue digni
or. Sed ſicut ſubiūgit aplus ꝓpter nos
vtiqꝫ dicit. Sunt tamē multe alie cōſi/
derātiōes: ſm quas ſenſus litteralis ꝑe
minet ſpūalib⁹: quaruꝫ vna eſt ex parte
extenſionis: quia ſcꝫ qlibet ꝑticula ſcri
pture habet ſenſum lralem: non aūt ſpi
ritualē. vt pꝫ ex dictis. Alia ṽo eſt ex
parte vniuerſalitatꝫ / ſeu cōmunitatis.
Nam ſenſus lralis eſt cōmunior: qa oīs
ꝑcipiens ſpūalem ꝑcipit necario litte/
ralem: ſed non ecōuerſo. Uñ nullus eſt
adeo rudis qn ex lrali ſenſu fructū poſ/
ſit reportare. iuxta illud Aug. de ſentē.
ꝓſpe. Doctria inqt aplica eſt tā ſalubrꝫ
atqꝫ vital vt ꝓ capacitate vtētiū nemi
nē ſui relinqt expertē: ſiue ei ſint pui ſiue

magni: habēt in eā vñ alant̄ ꝛ vnde ſatient̄. Hec ille. Ad argumēta autē facta Reſpondet̄. Et ad p̄mū q̄dem dico. ꝙ aplˢ nō intelligit ꝑ lr̄am ſenſum lr̄alē: neqꝫ ꝑ ſpm̄ ſenſum ſpūalem. ſed ꝑ lr̄am intelligit legē Moyſi: q̄ data fuit ī litteris ſcp̄tis: in tablis decalogi: ꝛ libris Moyſi. Dicit̄ aūt hec lex occidere occaſionalit̄ inq̄tū faciebat pcti noticiā: ex qua noticia occaſionalr̄ augebat̄ peccatuz ex noticia hūana. Nitimur em̄ in vetitū ſemꝑ: nō aūt dabat grām. qꝛ ſacramēta veterꝫ legis nō cōferebāt graciā. Et ideo dicit̄ ꝙ lr̄a occidit. Per ſpiritū aūt intelligit legē nouā datā in ſpiritu ſcr̄ō in forma ignis: ꝛ inuiſibilr̄ in cordibꝫ hoīm. iuxta ꝓphiaz Hiere. xxxj. Dabo inq̄t legē meā in viſceribꝫ eoꝝ: ꝛ in cordibꝫ eoꝝ ſcribā eaz. Hec lex dicit̄ viuificare. qꝛ eſt lex gratie ſanātis vulnera pctōꝝ. Sacramēta em̄ noue legis ſūt cauſa grē. Ad ſcōm aūt dico: ꝙ in argumēto aſſumit̄ vnū falſuz. ſ. ꝙ ꝑ ſenſum lr̄alem non tradant̄ nobis credēda ꝛ ſꝑanda: ꝛ agenda: ſed ſolū geſta. imo dico ꝙ per illū tradunt̄ geſta. vt ptꝫ de ſe. Et ſimilr̄ gerēda ſeu faciēda. vt ptꝫ de duobꝫ p̄ceptis charitatis. Et ſimilit̄ ſꝑanda. vt Apoc. ij. vbi dicit̄. Eſto fidelis vſqꝫ ad mortē: ꝛ dabo tibi coronā vite. Et ſimilr̄ credenda. vt Deut. vj. Audi iſrl̄: deus tu⁹ deus vn⁹ eſt. Et ſilr̄ Mat. xxviij. docemur trinitatē ꝑſonarum: cum dicit̄. Baptizantes eos in nomine pr̄is: ꝛ filij: ꝛ ſpūſſancti. Ad tertiū dico: ꝙ ſenſus lr̄alis non eſt ꝓpt̄ ſpiritualē: ſicut ꝓpter ſuū finē: q̄uis ſit fundamentū eius. Nam ꝛ chr̄us eſt fundamentū apoſtoloꝝ. ꝛ ſubſtātia eſt fundamentū accidentiū. ꝛ tamē talia fundamenta non ſunt ꝓpter ea que in eis fundant̄. ſicut ꝓpter ſuos fines principales q̄cquid ſit de fundamēto in materialibus. Ad q̄rtū dico: ꝙ neqꝫ in lr̄ali: neqꝫ in ſpūali ſenſu diuine ſcp̄ture eſt aliqua falſitas. Sciendū tn̄ eſt ꝙ in diuina ſcp̄tura multa tradunt̄ parabolice / ſeu metaphorice. id eſt ſub aliq̄ ſimilitudine reruz corporaliū. Et hoc ꝓpter duo. Primo ꝓpter neceſſitatez. Sicut em̄ dicit btūs Dionyſius. j. cap. celeſtꝫ hierar. Debilitas noſtre cognitiōis tāta eſt ꝙ diuina intelligere non pōt: niſi varietate ſacroꝝ velaminū circūuelata ſint. Secūdo ꝓpter vtilitatē. vt ſcꝫ rudes q̄ nō poſſunt diuina etiā velata capere. eo ꝙ ſola corꝑalia quodāmodo capiūt ſub talibꝫ corporaliū ſimilitudinibus doceant̄. Vn̄ ſaluator Matt. xiij. poſtq̄ ꝓpoſuit ſilitudinē dicens. Exit q̄ ſeminat ꝛc. ait diſciplis ad ꝑtem. Vobis datū eſt noſſe myſteriū regni dei: ceterꝫ aūt in ꝑabolis. Nec tn̄ in talibꝫ eſt falſitas. qꝛ lr̄alis ſenſus nō eſt is quē voces ꝓprie exp̄munt: ſed quē metaphorice. Cū em̄ dicit̄ d̄s deſcedere ad videndum: non eſt ſenſus lr̄alis: ꝙ tanq̄ magnus q̄dam dn̄s vadat ſpaciatū paſſim ſed ſenſus eſt: ꝙ d̄s ad modū hoīs ſic facientis ſe habeat. Et nota ꝙ qn̄ diuina ſcp̄tura aliq̄d ꝑabolice de d̄o tradit vtit̄ ſilitudine creaturaꝝ viliū: ꝛ magꝫ diſtantiū a deo. ne ſcꝫ credat̄ ꝙ ſenſus ſcp̄ture ſit ille quē voces ꝓprie exp̄mūt. Et idē credo in q̄liber ꝑabola: ꝙ ſcꝫ ſemper diuina ſcp̄tura vtit̄: aut talibꝫ verbis: aut tali ſilitudine: ꝙ anim⁹ cuiuſlibet prudētis intelligit cōmunit̄ ꝙ talia nō dicūt̄ ꝓprie: ſed metaphorice. Et hāc doctrinā intēdit ſctūs Tho. j. ꝑte. q. j. art. ix. in rn̄ſione ad tertiū argumentū vbi dicit. Sicut docet Dionyſius cap. ij. celeſtꝫ hierar. magis eſt cōueniens ꝙ diuina in ſcp̄turis tradant̄ ſub figuris viliū corpoꝝ / q̄ corporū nobiliū: ꝛ hoc ꝓpter tria. Primo: qꝛ ꝓpter hoc magꝫ liberat̄ human⁹ anim⁹ ab errore. Manifeſtū em̄ apparet: ꝙ hec ſm̄ ꝓprietatē nō dicūt̄ de diuinis qđ poſſet ēē dubiū: ſi ſub figuris nobiliū corpoꝝ deſcriberentur diuina: maxime apd̄ illos q̄ nihil aliud a corporibꝫ nobilibꝫ excogitare nouerūt. Scđo: qꝛ hic modus cōuenientior eſt cognitiōi quā de deo habem⁹ in hac vita. Magis em̄ manifeſtat̄ nobis de ipō q̄d nō eſt q̄ q̄d eſt. ꝛ ideo ſilitudīes illaꝝ rerū que magꝫ elongant̄ a deo veriorē nobꝫ faciūt exiſtimatiōnē ꝙ ſit ſup illud qđ de eo dicimus vel cogitamus Tertio: quia per hmōi diuina magꝫ oc

cultanť indignis. Hec ille. Ad q̄ntū di
co: ꝙ ſi liber ſacre ſcṕture de q̄ habetur
Apoc. v. ⁊ Ezech. ij. dicať ſcriptꝰ foris
rōne ſenſus lr̄alis: nō tn̄ dr̄ ſcriptꝰ intꝰ
ſolū rōne ſpūalis: imo rōne lr̄alis ē ſcri
ptus intus et foris: qꝛ ꝑ ſenſum lr̄alem
traduntť nobis quedā ſūme intima ⁊ ſe-
creta ꝑtinētia ad ſenſum allegoricū et
anagogicū. Vn̄ ex h̄ habetť: ꝙ lr̄alis ſit
potioꝛ: vtpote vniuerſalioꝛ ⁊ cōmunioꝛ
iuxta illō ad Ro. j. Sapiētib⁹ ⁊ inſipiē
tib⁹ debitoꝛ ſum. Ad ſextū dico: ꝙ ſicut
ſtudiū hūanaꝝ ſcientiaꝝ incipit a ṗnci-
pijs naturaliter notis: ſic ſtudium ſacre
ſcṕture recte oꝛdinatū īcipit ab articulꝭ
fidei diuinitꝰ ī ſacra ſcṕtura reuelatis:
q̄ fundantť in eiꝰ ſenſu lr̄ali. Ex his vna
cū alijs ī ſacra ſcṕtura litteralit̄ traditꝭ
ſeu ꝑ verā ⁊ rectā rōnē inuentis ꝓcediť
ad aliqua alia ꝓbanda. Per iſtū aūt ꝓ-
ceſſum deueniť ad oīa q̄ in ſacra theolo
gia veraciter traduntť a magiſtrꝭ: q̄ oīa
ad litteralē ſenſum ipſiꝰ ſcṕture redu-
cuntť. Ex his aūt patz/ ꝙ ſtudiū ſcṕtura
rū a ſenſu litterali incipit: ⁊ in his q̄ ab
eo argumētatiue deducuntť cōſummať.
Ad argumentū ergo cū diciť: ꝙ cogni-
tio noſtra incipit ab imꝑfectꝭ: verū eſt:
quo ad ſimpliciū intelligentiā: q̄ ab vni
uerſalioꝛib⁹ incipit. Noticia aūt cōple-
xa incipit a ꝑfectioꝛib⁹. Naz icipit ab i-
tellectu. i. habitu ṗncipioꝝ: ⁊ terminať
ad ſciam. i. habitū ꝯcluſionū. Ad ſepti
mū dico: ꝙ ex illa autoꝛitate Gregorij
nō dēmꝰ exiſtimare ꝙ ſenſus lr̄alis ī ali
quo loco ſcṕture deficiat: ſic ꝙ vł falſū
includat: vel ſit penitꝰ inutilis. Nā ex ṗ
mo infirmareť tota diuine ſcṕture au-
toꝛitas: vt Aug. dr̄. Scdm̄ etiā ē cōtra
aplm̄ dicētē ad Ro. xv. Quecūq; ſcri
pta ſūt: ad noſtrā doctrinā ſcripta ſunt
Sed intēdit beatꝰ Gregoriꝰ: ꝙ ſenſus
aliq̄n qui ꝑ voces pꝛopꝛie expꝛimiť fal-
ſus eſt: quē litteralē appellare: (licz im-
pꝛopꝛie) aliquo modo poſſumus. Et q̄n
incidit talis ſenſus: vtputa cū diciť hir
cum habere tantū vnum coꝛnu: tūc ad
ſenſum myſticū opoꝛtet recurrere. id eſt
ad litteralem: ſed impꝛopꝛie per voces
expꝛeſſum: qui ideo myſticꝰ diciť: qꝛ pa

rabolicꝰ: quāuis vere ſit litteralis. Et
hoc idem aſſerit beatꝰ Hieronymꝰ di-
cens. Cū hiſtoꝛia aut impoſſibilitatem
habet/ aut turpitudinē/ ad altioꝛa trāſ-
mittimur. i. ad ſenſum myſticū mō ex-
poſito. Et hec de queſtione.

## Quis ſenſus litteralis ſit potioꝛ.

### Capitulū. ix.

Ultimo reſtat: vt cir
ca ſenſum litteralem adhuc
vnā ſoluamꝰ difficultatem.
Cum ei idem textus plures
habeat lr̄ales ſenſus: vt cum ab expoſi-
toꝛib⁹ plures expoſitiōes traduntť que-
nam erit cenſenda potioꝛ: Ad h̄ ſic re-
ſpondēdū eſt. Dico eīm ꝙ litterales ex-
poſitoꝛes aliq̄n tradūt ſenſus īcōpoſſi-
biles: ⁊ tūc neceſſario alter ſeu vnꝰ eoꝝ
tm̄ eſt lr̄alis. qꝛ vnꝰ eoꝝ neceſſario ē fal
ſus. Exemplū huius habeť Dan̄. x. vbi
angelꝰ miſſus ad docendū Danielē: dr̄
ei. Princeps regni Perſaꝝ reſtitit mi-
hi. xxj. dieb⁹. Ubi ꝑ ṗncipē Perſaꝝ ſm̄
btm̄ Grego. intelligiť angelꝰ bonꝰ qui
habet curā illiꝰ regni qui nolebat ꝙ fi-
lij iſrł liberarentť ⁊ egrederentť d̄ regno
Perſaꝝ in q̄ m̄lta bona faciebāt docen
do fidē vniꝰ di. Sed ſm̄ aliq̄s alios fu
it angelꝰ malꝰ q̄ reſiſtebat bono. Quid
aūt hoꝝ veꝝ ſit nō ſpectat ad p̄ſentē cō
ſideratione. Cū ṽo ſenſus plures ſunt
cōpoſſibiles: ille videť ceterꝭ parib⁹ ma
gis p̄ferendꝰ qui magis inniti ť ratiōi.
Vn̄ q̄ q̄ſq; magis rōni inniti ť: eo maio
ris autoꝛitatꝭ eiꝰ verba eſſe videntť: vt
dr̄ i decretꝭ. diſt. xx. c. decretales. Item
q̄ magis ꝯſonat littere. Vn̄ ſm̄ Aug. d̄
doctri. chꝛiana. dubia ſūt determināda
ſm̄ ſententiā: que de ſcṕturaꝝ planioꝛi
bus locꝭ accipiť. Planioꝛa aūt loca ſūt
in quib⁹ planioꝛ eſt ꝯſonantia ad textū.
Item p̄ferēdus eſt quē tradunt ſancti
his qui a non ſanctis traduntť. Vn̄ ī de
cretis in pꝛedicto cap. diciť. In ſacrarū
lr̄aꝝ expoſitiōib⁹ ſancti doctoꝛes ſum-
mis pōtificib⁹ ꝑponuntť. Maxime aūt

ti nō ſcri ſint infideles: p̄dicta itelligūt bı̄e veritatē. qꝛ ſemꝑ ſenſus ſcrōꝝ: imo catholicoꝝ oim̄ p̄ferend⁹ eſt. Tum q̄a magꝭ p̄ſumēdū eſt ꝙ illi q̄ i gremio eccleſie ſūt: cui eccl'ie chr̄s ꝑmiſit ſpm̄ v̄itatꝭ: veꝝ ſenſum habeāt ſcꝑturaꝝ q̄ȝ infideles q̄ v̄itatꝭ fidei cōiter aduerſant. Tum ne ꝑ h̄ detur īfidelib⁹ occaſio credendi ꝙ ipſi meli⁹ q̄ȝ catholici ſacrā ſcripturā nouerint explanare. Quia tn̄ vbi pluralitas ſenſuū litteraliū occurrit: raro ꝯtingit ꝙ vn⁹ eoꝝ ſm̄ oia p̄dicta an̄cellat reliq̄s: ſed poti⁹ vn⁹ eoꝝ p̄cellit i vno: alius i alio. Idcirco i talib⁹ videt habere locū illud. ad Rom̄. xiiij. Unuſquiſq̄ȝ i ſuo ſenſu abundet: ſalua ſꝑ ſcrōꝝ reuerētia ⁊ autoritate. His igit̄ p̄libatis iam ad expoſitionē ſanctoꝝ euāgeliorum accedam⁹ a dominica p̄ma de aduentu inchoantes.

Finit tractatus Primus.

# Tabula ad euāgelia perquirenda in Aurea roſa iuxta morem Curie.

Quicūq̄ȝ euāgelium ſm̄ curiā Romanaȝ currens in hoc opuſculo ſuo loco minime inuenerit annotatū: a ſd ubiectā tabulam recurrat.

Igit̄ dn̄ica p̄ma in aduētu euāgeliuȝ curiale req̄re in dn̄ica ſcd̄a in aduentu. Dn̄ica aūt ſcd̄a req̄re in dn̄ica t̄ria eiuſdē aduent⁹. Dn̄ica aūt tertia req̄re in dn̄ica. iiij. Dn̄ica aūt q̄rta req̄re i ſabbato q̄ttuoꝛ tēpoꝝ. In octaua aūt epiphanie req̄re i fine libꝛi. Feria t̄ria p̄me hebdomade i q̄dragesima req̄re in ſcd̄a q̄dragesime. Dn̄ica aūt ſcd̄a i q̄dragesima req̄re in ſabbato p̄cedenti. Sabbato aūt poſt dn̄icaȝ i paſſiōe req̄re i fine libꝛi. In vigilia v̄o aſcēſiōis req̄re in ſabbato an̄ dn̄icaȝ palmaꝝ. Notandū eſt v̄o ꝙ dn̄icaȝ in q̄ ē feſtū ſancte trinitatꝭ: curia appellat dn̄icam p̄mam poſt Pentecoſten: ita ꝙ p̄ma dn̄ica poſt feſtū trinitatꝭ eſt ſcd̄a poſt Pentecoſtē. Igit̄ dn̄ica ſcd̄a poſt pentecoſten req̄re euangeliū curiale in dn̄ica ſcd̄a poſt feſtū trinitatꝭ. Dn̄ica aūt tertia poſt pētecoſten: req̄re i dn̄ica tertia poſt feſtuȝ trinitatꝭ: ⁊ dn̄ica. iiij. req̄re in. v. ⁊. v. req̄re in. vj. ⁊. vj. in. vij. ⁊ vij. in. viij. ⁊ ſic deinceps vſq̄ȝ ad dn̄icaȝ. xxiij. Dn̄ica aūt. xxiiij. poſt pente. req̄re in fine libꝛi.

In feſto aūt s. Tho. martyris req̄re dn̄ica. j. poſt octauas paſce. Euāgeliū aūt ſcti Anto. de padua oꝛdinis bti patris Franciſci req̄re i feſto bti p̄ris Dominici. Scrōꝝ vero Ciriaci Largi et Smaragdi req̄re i die aſcēſiōis. Sancti āt Petronij req̄re dn̄ica. j. poſt octauas paſce. Bti v̄o p̄ris Frāciſci req̄re in feſto ſcti Mathie. In cōi vero apl'oꝝ euāgeliū: Hec mando vob: req̄re in feſto Simonis ⁊ Iu. Et euangeliū: Ecce mitto: in feſto Tiburtij ⁊ Valeriani. Et euāgeliū: Ecce nos: in cōmemoratiōe bti Pauli. Et euāgeliū: Deſignauit: in feſto bti Luce. In cōi aūt vni⁹ martyrꝭ euāgeliū: Nolite arbitrari: req̄re i feſto ſcti Valentini. Et euāgeliū: Nihil opertum i feſto ſcti Theodori. Et euangeliū: Si q̄s venit ad me: req̄re i fine libꝛi. In cōi aūt plurimorū martyꝝ euāgeliū: Cōfiteoꝛ: req̄re i feſto bti Mathie. Et euāgeliū: Qui vos audit: req̄re i feſto ſcti Felicꝭ. Et euāgeliū: Sedente: req̄re in fine libꝛi.

Et ſil'r euāgeliū: Ve vobis. In cōi aūt ꝯfeſſoꝝ euāgeliū: Vos eſtis: req̄re in feſto bti patris Dn̄ici. Euangeliū aūt: Videte: req̄re in fine libꝛi. Et ſimiliter euangeliū: Nolite timere. Cetera non mutant.

Finit Tabula.